

DE METROP. ET COLLE. ECCLESIIIS. Fo. XIII.

participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem reuertantur, sic tamen, vt hic seruetur regula apostolica: Corripite inquietos, cōsolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes, & neque ira, neque odium, neque rancor, vltimas sibi partes vendicat. Nam illa prepositorum sollicitudo est vtilis, illa cautela est laudabilis, in qua totum ratio agit & furor nihil sibi vendicat. Ira enim sæpe etiam innocentes ad crimen adducit, Dum enim iusto amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus. Per hæc tamen nostris ac ecclesiarum prouintia nostræ priuilegijs ac legitimis consuetudinibus, & præsertim mori ac consuetudini qui in aliquibus ecclesijs est (nempe vt causæ disciplinæ per Diaconos diducuntur) nihil præiudicamus, modo tamen Diaconi ad requisitionem Decani, suo officio gnauius ac strenue incumbant ac satisfaciât. Quod si Decanus & Capitulum negligentes, aut eisdem criminibus irretiti fuerint, ad iuris communis dispositionem redire, necesse erit.

1. Thess. 5

Inno. pap. ij
Gregori. ad
Maur. Imp.
c. illa. 11. 9. 3.

Contentiosi ad pacem & concordiam per Decanum & Capitulum reuocandi. Cap. XVI.

Inuidiæ detractionisq; vitium longe omnium pestilentissimum, in collegijs non est nouum, quod humani generis hostis inter fratres serere semper conatus est. Quemadmodum de Abel & Cain, de Ioseph & fratribus eius legimus, Quin parum aberat ab omnium sanctissimo illo collegio, nempe apostolico, nisi pacificator Christus Iesus intercessisset, ac Satanam repente eiecisset. Hinc sæpenumero in clero, rixæ, iurgia, & iniuriæ nascuntur. Hinc multæ falsæ criminationes, æmulationes, obtreccationes & delationes oriuntur, Et fit lingua ordinata in laudem dei, inquietum malum, plena veneno mortifero. Fit denique vt in ea qua benedicimus deum & patrem, in ipsa maledicantur homines, qui ad imaginem & similitudinem dei facti sunt. Atque ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet (inquit diuus Iacobus) fratres mei hæc ita fieri, sed qui sapientes & disciplinati inter vos, ostendant ex bonâ conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Nam si zelum amarum habetis & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem. Non enim est ista sapientia de sursum descendens a patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio est, ibi inconstantia, & omne opus præuum. Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Fructus enim iustitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.

Gene. 4
Gene. 37

Iohan. 15

Iaco. 3